

G. N. 352, 21.

X1860452

II f  
786

Συὴ Θεω.

DISPUTATIO MORALIS

DE

SPONTANEO

ET INVITO,

QUAM

D. O. M. A.

PRAESIDE

DN. CHRISTIANO EBERHART

HISTOR. ET POES. PROFESSORE ORDIN.

Præceptore & Promotore suo æta-  
tem colendo

IN ILLUSTRIS IULIA

*Publico eruditorum examini subijcis*

ANDREAS RUPERTI, EIM-

BEŒCENSIS Aut. & Resp.

IN NOVO IULI AUDITORIO

Die Maji.



HELMESTADI

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typogr.

Anno MDCCCLVI.



DISPUTATIO MORALIS  
DE  
SPONTANEO  
ET INVITO  
L. V. N. M.  
D. O. M. A.

FR. RESID.  
DN. CHRISTIANO EBBERHART  
HISTOR. ET POES. PROFESSORE ORDIN.

Inceptio & Promotio in 1744  
cum colendo

IN LILLYBURGH

Publico ex officio examini scripto

ANDR. WASSERBURTI. FIM.

apud Lipsiam Ann. & Reg.

IN OFFICIO LIBR. CANDIDATI

1744



1744

Typis HENNINGII MILLERII, Act. Typogr.

Lipsiæ 1744





DE  
SPONTANEO, EIVSQVE  
OPPOSITO INVITO.

THESIS I.



Um omnis Philosophia Moralis ob summam tum in aliis disciplinis melius addiscendis, tum vita ipsa rectè instituenda beateque agenda utilitatem, præ cæteris sit frugifera & fructuosa; nullus tamen insignium in utrisque istis fructuum feracior ejus locus aut doctrina esse videtur, quàm de Spontaneo atque Invito: Ut meritò eam fundamentum virtutis atq; omnium totius vitæ actionum, judicii que de ijs ferendi, appellare nobis liceat.

II. Etenim ut nihil dicamus de argumentis à Philosopho *l. 3. Eth. c. 1.* allatis, quibus in civili ipsa Philosophia ejus usus necessarius esse ostenditur; nulla minus doctrina in examinandis judicandisque tum nostris tum aliorum actionibus in vita communi aut ulla ejus parte, neque publicis, neque privatis, neque forensibus, neque domesticis in rebus, neque si tecum agas quid, neque si cum altero contrahas, (ut Tullij verba de officio dicta nostra faciamus) carere possumus, ut quantum ea & Juris & Theologus indigeat, ullo verbo demonstrare prorsus supervacaneum judicemus.

A 2

III. Nos

III. Nos quidem ista animo perpendentes non potuimus, quin in tam nobilem doctrinam penitus paulò inquireremus, & pro ingenij modulo ex ipsius potissimum Philosophi præceptis concinnatam, publicæ disquisitioni, exercitij tamen solummodo causa, subjiceremus. Quod si cui in aliquibus rem, quod dicitur, acu minus tetigisse videbimur, conatus saltem nostros illi non improbatum iri confidimus.

IV. Cæterum insignem hunc utilitatis tam latè manantis fontem Philosophia nobis moralis suppeditat. Ad hanc enim pertinere ejusque partem esse istam de Spontaneo atque Invito doctrinam, eo potissimum Philosophus *l. cit.* ostendit, quod ad virtutis moralis naturam perfectè cognoscendam ipsa quoque sit in primis necessaria.

V. *Cum enim, ut ipse ait, virtus in affectibus & actionibus versetur, & cum in iis, quæ spontè sunt, fiant laudes & probra, in invitis venia, & aliquando misericordia, id quod sponte est & invitum, necesse est fortasse definire, qui de virtute considerationem habent.* Ponit autem ibi tanquam certum, & libro superiore, ipsius experientiæ suffragio sæpius affirmatum, actiones virtutis hanc quasi propriam notam habere, quod ob eas (jurè ac verè) laudemur, quemadmodum contra ob vitiosas atque pravas vituperamur. Cum ergo in talibus versetur virtus actionibus, nec tamen, quod itidem vitæ illa magistra nos docet, vel laudemur vel vituperemur meritò, nisi ob actiones, quas sponte, i. e. scientes volentesque exercemus, facilè patet, ad actionum, quibus exercendis virtus partim indiget à nobis comparanda, partim post fit conspicua, naturam ac rationem rectè percipiendam necesse esse, ut quid sit Spontaneum,

taneum, ejusque oppositum Invitum, rectè nobis accurateque sit perspectum.

VI. Addo autem: *ejusq; oppositum Invitum*: Quamvis enim actiones, si ab invitis fiant, neque quæ bonæ aliàs & laudabiles forent, laudem; neque, quæ malæ, vituperium mereantur: tamen, malas præsertim quod attinet, multum illæ hac ratione commissæ, à vitiosis differunt; cum neque culpa earum aliqua agentibus imputetur, sed veniâ potius censeantur dignæ: neque etiam virtutis ipsius habitui vel comparando, vel etiam acquisito eæ obesse, aut vitium aliquod inducere argueréve valeant. Quin si etiam atrox quoddam factum, & quod infortunium aliquod secum trahat, ut si quis proprium occidat filium, vel alia gravior calamitas incio & invito prorsus eveniat, præter veniam & virtutis hætenus inviolatam opinionem, etiam misericordiâ illum prosequimur, quod nempe indigno & præter meritum seu culpam tam grande malum evenerit.

VII. Ob hanc itaque causam & ea, quæ dixi, rectius dijudicanda, de Invito quoque in morali disciplina agendum esse Philosophus verbis antea adductis innuit. Quò accedit, quod cum oppositorum eadem sit disciplina, unumque ex altero melius cognoscatur, etiam Inviti tractatio à Spontanei doctrina sejungi, siquidem perfectam illam & ad intelligendum accommodatè elaboratam tradere nobis sit propositum, nullo modo licet.

VIII. Quin non tantum de Invito, ob causas jam indicatas, agit h. l. Philosophus, sed & idem partim prior loco, partim pluribus, quàm ipsum Spontaneum, pertractat. Priori quidem loco meritò, quod, cum ad Spontaneum, seu ut aliquid sponte faciamus, plura requirantur, quæ nec à quolibet ita facilè animadverti, neque

A a

etiam

etiam tam commode intelligi possunt, ad Invitum vero pauciora, & vel vis, vel ignorantia sufficiat, quorum utrumque sensibus quodammodo deprehendi potest, doctrina illius tum longè existit facilior, tum ad Spontaneum quoque eò minore labore cognoscendum viam munit. In disciplinis autem ea, quæ notiora sunt, & quorum cognitione in difficiliorum intelligentiam facilius penetramus, priore loco debere tradi, in confesso est.

IX. Pluribus autem de eodem, quam de eo, quod sponte est, agit, quia dum priore illud loco tractatur, quorum cognitio communis est utrique, illa statim ad ipsum moneri & explicari debent. Quod cum, ut dictum, facilius quoque commodiusque fiat, illorum ad Spontanei postea doctrinam tantum meminisse, non vero denuò prolixam tractationem instituere opus est.

X. Ut ergo ad rem ipsam, & principio quidem Philosophi exemplo ad Inviti considerationem accedamus, quid vox illa significet, primo loco dispiciendum nobis erit. Omnibus autem frequentata ejus usurpatione inviti dicimur agere, cum vel vi adacti aliquid facimus, & tum vocatur βίαιον seu violentum, vel ignorantes quippiam perpetramus, quod aliàs, si res in nostra potestate sita esset, eamque haberemus cognitam, non ageremus. Hæc posterior actio dicitur invita δι' ἀγνοίαν s. per ignorantiam.

XI. Hic autem vocis hujus usus jam statim quoque, quot genera sint Inviti, nos docere potis est. Verum ut ratione etiam aliquâ pateat, neque unum tantum, neque etiam plura duobus jam commemoratis illa esse, paullo altius res repetenda, & in ipsius Inviti naturam atque causas inquirendum est. Duas esse facultates seu partes animæ, homini proprias, intellectum nempe s. eam, quæ in se &

se & per se est rationalis, & appetitum, qui in se rationem quidem non habet, illam tamen sequi, eique obedire est aptus natus, *1. Eth. c. 13.* Philosophus ostendit. Vbi propter ea, quæ nobis deinceps sunt disputanda, obiter simul monemus, illum in moralibus hisce libris appetitus tantum mentionem facere; Voluntatis, eo quidem sensu, quo nos vulgo accipimus, expresse non meminisse. Hanc scilicet sufficientem subjecti sui & partium ejus distinctionem pro scopo suo arbitratus est, cum non, ut in theoreticis, ita in practicis quoque omnia accuratè sint distinguenda, sed plerumque *ὡς ἴνα ἴω* seu rudi Minerva, & prout ad actionem instituendam finemque obtinendum satis est, subjectum cognosci debeat. Quare & nos nunc voluntatis, nunc appetitus vocabulis, prout hoc vel illud commodius videbitur, deinceps usuri sumus. Sed in viam jam revertamur. Quemadmodum verò omnium rerum operationes propriæ oriuntur à facultatibus s. principijs operandi illis rebus proprijs, ita etiam hominis operationes propriæ, i. e. actiones humanæ propriè strictèq; dictæ ex illis duabus homini proprijs facultatibus dependent. Et appetitus quidem cum solus Spontaneas vel voluntarias actiones faciat, nihil tamen potest appetere, adeoq; vel ipse agere, vel alias facultates ad agendum impellere cum ijsve concurrere, nisi ab intellectu id sit cognitum & ipsi propositum; ex quo patet, spontaneam actionem exerceri non posse, nisi intellectus seu ratio cum appetitu sit conjuncta, adeoque hæc duo quasi principia sunt actionis verè spontaneæ. Quod si ergo contingat, ut alterum illorum deficiat, aut non agat, vel etiam refragetur, non amplius spontanea illa actio esse potest.

XII. Sanè ad appetitum quidem utrumque Invidium proximè refertur, & ob illius repugnantiam tale iudicatur:

dicatur: Id enim omnes invitum esse intelligunt, quod fit contra voluntatem. Sed tamen non eodem modo in actionibus ejusmodi sese illa ejus repugnantia habet. Alibi enim in ipsa actione statim aperte & actu ipso repugnat, alibi vero tacite quasi, & ut ita loquar, potentiam tantum repugnat, nempe quod nolit quidem alias rem istam vel cum istis circumstantiis, quam tamen ob illarum ignorationem jam vult. Itaque non aperte huic rei, quam agit, repugnat, sed potius actu cum ea concurrat ob intellectus errorem falsumque judicium, cujus cognitio vera tunc quidem abest.

XIII. Priore ergo modo, si appetitus ipse cum actione non concurrat, seu illi adversetur & repugnet, oritur Invitum per vim seu Violentum, ut paulo post explicabitur: Posteriore vero, & si intellectus seu ratio aut cognitio vel deest, vel non recte rem apprehendit, & propterea neque appetitui recte vel sequendum vel fugiendum (quod tamen in omni actione ejus est officium) potest proponere, oritur Invitum per ignorantiam dictum. Neque minus hoc est invitum seu contra voluntatem, ut ut illius impulsu actum, quam prius illud: quippe si illi res aliter, & prout revera erat, ab intellectu fuisset proposita, ipsa eam vel nunquam, vel certe non pro eo tempore aliisque circumstantiis postea melius cognitis exercuisset, adeoque etiam tunc non potest fieri, quin re verius postea perispecta actionem illam dolor & poenitentia sequatur comes.

XIV. Horum itaque duorum principiorum actionis alias spontaneae cum solus defectus seu absentia invitum faciat, violentum quidem, voluntatis; id vero, quod per ignorantiam est, intellectus seu rationis; facile patet, plura inviti genera, praeter ista duo, dari non posse. Sed  
& idem



& idem exemplo declarari potest. Nemo sane quidem mentis, aut non extremè improbus, suum occidit filium, nisi invitus. Hoc vero non aliter potest contingere, quàm si alius vi arrepta ejus manu eam in necem filij dirigat, aut in errorem quendam eum atque ignorantiam inducat, ut suum illum esse filium tunc quidem ignoret. Alia ratio, qua quis invitus & prorsus nolens suum occidat filium, excogitari non potest. Quare etiam plura Inviti genera pluresq; modi non sunt.

XV. His ita explicatis jam singula ista & priore quidem loco Invitum per vim seu Violentum considerandum nobiserit. Ne vero obscuritas aliqua in hac posteriore voce (Violentum dico) nos turbet, antequam definitionem rei afferamus, notandum erit, quod *Violentum*, sunt verba Acciajoli, aut accipitur pro afferente vim, aut pro actione violentâ, quæ provenit à tali, ut ita loquar, violentante & vim afferente. Utraque hæc acceptio est frequens, à Philosopho autem actio violenta hic describitur.

XVI. Dicitur ab eo Violentum esse, ἡ ἢ ἀρχὴ ἐξωθεν, τοιαύτη ἔσται, ἐν ἣ μὴδὲν συμβάλλεται ὁ πράττων ἢ ὁ πάσχων οἷον, εἰ πνεῦμα κομισαίῳ ποί, ἢ ἀνθρώποι κύριοι ὄντες. Cujus principium extrinsecus tale est, ut ei nihil conferat agens vel patiens, quemadmodum si ventus impulerit aliquo vel homines qui potentes sunt.

XVII. Hac definitione Inviti per vim seu actionis violentæ, duæ ejus conditiones assignantur, quarum prior, ut principium actionis sit extrinsecum, nempe extra voluntatem seu appetitum. Hic enim cum unicè actionem spontaneam, ut antè dictum est, efficiat, & causa ejus sit principalis, in cujus etiam potestate ea est sita; si ipse velit, adeoque in ipso sit principium, vel potius ipse illud sit, non potest actio invita propter vim seu violenta censerit, quippe ab appetitu vel voluntate tanquam causa

B

prin-

principali & in cuius est potestate agere vel non agere, de-  
pendens, ut si quis se præcipit ex alto loco det, aut igne pul-  
veri tormentario subjiciat, cuius violentia in sublime truda-  
tur. Ut ergo actio talis judicanda sit, necesse est ut aliud  
quiddam præter vel extra voluntatem seu appetitum illo  
prorius non assentiente facultates reliquas aut membra  
etiam corporis, vel ipsum corpus moveat. *Posterior*, quæ  
tamen cum priore ita explicata cohæret, est, ut nihil  
prorsus ita invitè agens vel vim patiens ad actionem  
istam conferat: quod itidem de voluntate seu appetitu  
debet intelligi; qui si non reluctetur, & quantum in se est,  
membra etiam corporis aut alias facultates, in quas im-  
perium ipse habet, cohibeat, etiam si adsit agens vel vis  
externa, actio violenta aut invita propter vim non erit,  
sed in tantum, quantum voluntas consentit, aut agere per-  
mittit, spontanea: ut si quis sciens ab aliis raptetur aut ge-  
stetur, quo ipse lubenti per se iret animo, aut non etiam  
ipso corpore reluctetur.

XVIII. Duabus hisce conditionibus ab aliis *tertia*  
quædam, quam medio tamen loco ponunt, addi solet:  
ut nempe illud agens externum ita sit potens, ut ei vim  
patiens resistere nullo modo possit: Sed illa à Philoso-  
pho in definitione ipsa non adhibetur, sed tantum extre-  
mis illis vocibus exemplo adducto subjunctis, *κέραιο ὄντες*,  
indicatur & præterea ex duabus istis cæteris satis intelli-  
gitur. Posito enim, quod is, qui vim patitur, prorsus no-  
lit, & toto corpore atque omnibus viribus reluctetur, non  
potest certè nisi à potentiore moveri. Quare duas illas  
thesi præcedenti explicatas conditiones ad violentam a-  
ctionem sufficere arbitramur.

XIX. Cæterum de his ipsis ut pluribus adhuc aga-  
mus, *primò* quidem priorem illam de principio actionis  
extrin-

extrinsecò non ita intelligere debemus, quasi extra ipsum vim passi corpus aliud aliquod suppositum agens, seu vim inferens necessariò & semper requiratur: Cum respectu folius voluntatis seu appetitus, utpote proximi & intrinseci spontaneæ actionis principij ita dicatur, puta quod ille neque impellat ad agendum, neque ullo modo consentiat. Possunt enim & in ipso homine violentæ actionis principia existere, ut si quis in horrore febrili contra voluntatem corpus jactet, aut in Epilepsia caput lapidi aut terræ allidat, aut etiam ex alto loco contra voluntatem decidens membra aut etiam alium lædat: in illis enim ipsa vis morbi & vehemens convulsio; in hoc verò naturalis corporis gravitas, quæ omnia sunt principia intra corpus, quamvis non intra ipsum appetitum, motum illum violentum cient.

XX. Exemplum inter hæc postremo loco adductum etiam *secundo* dubij cujusdam nos commonefacit, quomodo nempe violentum possit dici, quod secundum ipsam naturam fit, (quippe naturale est corpus grave ferri deorsum: ) Violentum enim naturale omne excludit, nec ea, quæ violenter fiunt, secundum naturam seu naturaliter fieri dici fortè queant: quin etiam contrà, aliqua quæ spontè fiunt, violenta & contra naturam esse experientia ipsa testatur, ut si quis lapidem contrà naturam ejus violento impetu sursum trudit sciens volens, vel aquam ex puteo sursum trahit: item si quis saltet: tum enim contra naturam corporis ipsum elevatur, adeoq; est motus violentus.

XXI. Ut autem ad posteriorè hujus dubij partè, & ultimū ejus exemplum primo loco respondeamus, negamus actionem aut motum saltantis esse violentum seu contra na-

turam : Quamvis enim motus corporis, quatenus est aliquid grave, sit deorsum, motus tamen animalis, cuius pars tantum est corpus, sit secundum omnes positionis differentias. Sed hoc potius ad Physicam pertinet. Ad reliqua exempla dicimus, lapidis quidem projectionem, aut aquæ illam sursum tractionem respectu illarum rerum esse motus violentos, quippe contra naturalem motum illorum corporum gravium, non tamen respectu projicientis vel haurientis, cuius est ipsa actio: ille enim sciens volens ista facit, ac proinde Spontaneam ejus esse actionem manifestum est. In omni enim motu violento cum sit contra inclinationem seu appetitum ejus, quod movetur, adeoque ab eo ipso non fiat, duo concurrunt, agens seu movens extrinsecum, cuius in hoc exemplo spontanea est actio, & motum, cuius respectu violentus motus dicitur.

XXII. Ad priorem vero dubitationis partem diluendam afferemus distinctionem quandam violenti, quæ etiam responsionibus jam ad reliqua exempla datis lucem aliquam commodare poterit. Cum enim in genere quidem illud violentum dicamus, quod fit in re contra inclinationem seu appetitum ejus, quemadmodum lapis contra suam inclinationem vel appetitum naturalem sursum pellitur; aut animal contra appetitum suum animale aliquo abripitur; pro diversitate illius inclinationis seu appetitus, & cum alius naturalis tantum sit, qualis est in rebus sensus expertibus, alius vero cum cognitione conjunctus, quem animale dicere liceat, quo etiam nunc rationale seu hominis, ob causam supra indicatam referimus; etiam Violentum illi repugnans duplex statuimus. Alias enim repugnat potentia vel appetitui naturali alicujus rei,

ius rei, opponiturq; ei quod naturaliter fit, & sic accipitur hæc vox à Phycis: aliàs aduersatur animalium appetitui, qui est principium sponte agendi in illis, quorum etiam cognitio tunc simul adest; & hinc tale Violentum opponitur ei quod sponte agitur ab animalibus, ita ut cognitionem etiam eorum aliquam requirat, quæ hujus loci ac moralis doctrinæ propria est acceptio, & ad evitanda æquivocæ hujus vocis incommoda fortè melius Invitum propter vim diceretur. His observatis, dicimus motum ipsum decidentis corporis, quatenus illud est aliquid grave, esse naturalem, nec violentum priore illa vocis hujus significatione; esse verò maximè violentum posteriore, & quæ hujus loci est propria: Motum autem saltantis neutrâ esse violentum, quippe & naturæ animalis & animalis ejus appetitui congruentem: aquæ verò & lapidis motum sursum respectu harum rerum esse violentum priore illa significatione, respectu trahentis autem, vel projicientis, neque priore neque posteriore, sed actionem tum naturæ ejus convenientem, tum merè spontaneam.

XXIII. *Tertiò* in definitione illa Violenti adhuc est notandum, quod dicitur, nihil ad actionem illam conferre agentem vel patientem. Videtur quidem omnino aliquid ipsius concurrere, ideoq; etiam ipse ad actionem aliquid conferre. Adest enim scientia seu cognitio intellectus, adest corpus & ejus qualitates, quæ sæpe sunt causæ actionis violentæ, ut supra exemplo hominis ex alto decidentis patuit: atque ita homo ad actionem istam nihil contulisse haud quaquam forte dici potest. Verum huic difficultati jam supra ivimus obviam, dum monuimus, ista de voluntate seu appetitu agentis seu patientis debere intelligi, quippe qui est proximum actionum Spontanea-

tancarum principium, ac principalis causa, & in facultates sibi subjectas ac membra corporis ad motum data herile & absolutum possidet imperium, ut si ipse nolit, moveri illa aut agere, nisi vi aliqua externa & potentiore impellente, prorsus nequeant. Hac itaque ratione id quod vim patitur, & cum non ut principale agens, sed tantum ut instrumentum vel simpliciter patiens vi ab alia causa principaliore externa abreptum, nec, quamvis ipsius sit corpus aut membrum quod movetur, ab ipso tamen motum, agat, nihil conferre ex se ad actionem dicitur. Quod si verò sine tali potentioris agentis impulsu ipsum moveatur, necesse est, ab appetitu ipsius id fieri, atq; ita ipsum agens ex se aliquid conferre, neque actio illa prorsus invita aut violenta esse merito statuitur.

XXIV. Denique & quarto adhuc monendum, quare Philosophus verbis modo adductis, id quod nihil ad actionem conferre dixit, appellet, *agens vel patiens*: His enim duobus nominibus, sunt verba Acciaioli, *appellat illum, qui movetur violenter. Agens enim & patiens eadem persona diversis respectibus esse potest: nam ea ratione, qua suscipit vim, dicitur patiens, scil. in quantum compellitur: In quantum vero compulsus agit aliquid aliud, ut si quis baculum habens in manu coactus à potentiore percutiat alium: ager illud & dicitur agens respectu illius quod agit, licet invitus. Itaq; ea ratio e qua suscipit in se vim, dicitur patiens, ea verò ratione, qua compulsus agit aliquid aliud, dicitur agens.* Hæc Acciaj. Quamvis autem, cum alterius potius, nempe principalioris agentis externi, quippe membrum aut corpus alterius moventis sit actio, si propriè velimus loqui, non agere id quod per vim movetur, dici debeat, sed potius pati: quia tamen vulgari loquendi consuetudine etiam vim passio  
talis

talis actio tribuitur, ut dicatur e. g. manu sua, quamvis  
coactus, verberasse, ideò etiam agens à Philosopho dici-  
tur.

XXV. De Violento autem seu invito per vim sa-  
tis pro instituti ratione fortè diximus. Est autem illud,  
quando alterum principium, actionem spontaneam fa-  
ciens, actu deest, nempe voluntas seu appetitus. Deest  
autem ille vel prorsus in ipsa actione, & omnibus viribus  
reluctatur, in quo ipsius Violenti rationem ponimus: vel  
ante actionem abhorret quidem ab eâ, certe eam non  
appetit aut non vult, in ipsa verò actione, & illo tempore,  
quando ea exercetur, ipse eam appetit ac jubet; ut si quis  
propter metum cruciatuum aut mortis aliquid facit, quod  
prius facere omnibus modis nolebat: quemadmodum  
etiam obortâ in mari tempestate ad vitam conservandam  
jacturam faciunt mercium; vel etiam propter honestum;  
puta si quis pro patria liberanda & ut tyrannum occidat,  
sefe in præsentissimum vitæ ac horrendi supplicij pericu-  
lum conjiceret.

XXVI. Cum ergo de prioris ordinis defectu, quo  
voluntas in ipsa actione adhuc prorsus deest & refragatur,  
constet, actionem istiusmodi esse invitam, & per vim fa-  
ctam seu violentum dici: de altero genere quæri non im-  
meritò potest, quo illud debeat referri, & annon ipsum  
quoque Violento seu invito per vim annumerari possit.

XXVII. Ex definitione autem violenti jam satis con-  
stat, illud in his duobus potissimum consistere, ut & agens  
sit externum, & nihil conferat suæ voluntatis is, cui vis af-  
ferri dicitur. In illis verò causa quidem ad agendum im-  
pellens cum sit externa, quale est periculum, vel molestiam  
afferens, vel honestas: agens tamen proximum ac principa-  
le,

le, nempe voluntas seu appetitus, cuius iussu aut consensu actio ipsa fit, fit in nobis: nam voluntas nostra ingruente periculo jubet merces in mare projicere, voluntate sua quis se in periculum supplicij vel mortis conjicit, cum possit etiam nolle, atque prorsus omittere; patet ad Violentum ista referri non posse. Neque vero ad Invitum per ignorantiam, cum omnia ista à scientibus agantur, pertinere est extra dubium: relinqui ergo videtur, aut plura esse Inviti genera, aut ad spontaneas actiones istas esse referendas.

XXIIX. Et sane invitas esse plerique hominum forte fateantur: cum ab utraque parte proposita sint quæ nolumus atque averfamur: Nam tempestate perire nolo, merces & omnia bona amittere itidem nolo: in periculum supplicij me dare, aut etiam mortem ipsam oppetere nolo: Patriam verò foedisima servitute opprimi, cum à me liberari posset, & forte etiam quovis modo debeat, eodè modo nolo: Utrum ergo in utroq; tali casu eligamus, eligimus id, quod per se nolumus; quare invitas esse tales actiones forte jure dicatur. Quod & ipsorum, qui eas agunt, confessio procul dubio confirmaret; invitos enim se merces & bona omnia projicere: invitos se pericula & mortem suo veluti jumento accersere ac provocare, magis quam lubentes aut sponte, affirmabunt.

XXIX. Verum enimvero, cum in ipsa actione seu quando ea exercetur, nec voluntas nostra prorsus excludatur aut refragetur, quippe volens quis salutem suam hâc ratione conservare, cumque finem istis mediis obtinere, merces in mare projicit, idque suis membris, quibus liberè imperat; & omnes, qui sanâ sunt mente, in tali discrimine constituti idem velle & solent & debent; non  
prorsus



prorsus invitas has actiones esse, sed etiam aliquam ratione spontaneas ac voluntarias, non difficile est judicare. Quare cum id, quod alias extra illum casum seu simpliciter nolumus, eo tempore eligamus & velimus, Mixtas illas cum Philosopho appellare liceat, i. e. partem in se habentes spontanei, partemque etiam inviti. Sed tamen magis illas spontaneis, quam invitis esse similes, ac proinde potius tales appellandas, non una ejusdem Philosophi ratione demonstrari potest.

XXX. Cum enim *primo* omnis actio sit singularis, & certo tempore atque ob certum finem obtinendum agatur: Si hoc ipso tempore ob hunc finem illius beneficio consequendum eligimus atque volumus, pro hoc ipso tempore & propter hunc finem jam nobis propositum erit spontanea seu voluntaria. Talis enim est actio, & talis debet censerī, qualis est eo tempore, quo exercetur, & prout ob certum finem expetitur. Jam vero istiusmodi actio, quando merces salutis causa in mare projicimus, eo ipso tempore à nobis ob istum bonum finem propositum eligitur, adeoque sponte & libere expetitur atque suscipitur. Nam electio est actus voluntatis, quo media ad finem sponte expetimus atque aggredimur. Cum ergo oborta tempestate propositum nobis sit vitam & salutem conservare, nec alio medio id obtineri queat, nisi projectis in mare bonis, hoc ipsum ita volumus, ut plane non, tunc quidem & in ea necessitate constituti, nolimus. Ergo pro eo saltem tempore atque occasione, atque ob illum finem tunc nobis propositum, actio illa est voluntaria seu spontanea, utut alias simpliciter & sine illis circumstantijs, hujus temporis & hujus finis consequendi, sit involuntaria seu invita.

C

XXXI.

XXXI. Si enim quis alio quocunque tempore, quo tale malum non imminet, & is finis hoc medio non sit obtinendus, interrogetur, an velit bona sua in mare projicere: nisi mentis sit impos, se id facturum esse omninò, & cum irrisione interrogantis negabit: Si verò quæras, annon tempore tempestatis & in naufragij periculo constitutus malit bona in mare projicere, quam unà cum ijs perire, affirmaturum eum, nisi cum Euclionibus quibusdam amisissis bonis se quoque à vita abjudicare melius censeat, non dubitamus. Simpliciter itaq; & in se, sine istis circumstantijs hujus temporis & hujus finis istæ & similes actiones sunt involuntariæ seu invitæ, neque à quoquam, nisi vi adhibitâ exerceantur; pro temporis vero ista necessitate propter finem hunc obtinendum eligendæ atq; ita spontanæ. Quod si tamen isto etiam tempore & in ista necessitate ab aliquo illa actio non eligatur, finisq; quem aliàs per eam obtinere possit, mercibus posthabeatur, ab alio vero robustiore ad id faciendum ille raptetur, tum invita adhuc actio & violenta meritò esset dicenda.

XXXII. Obiter ex casu jam postremis his verbis posito, discrimen evidens inter actionē violentā, & ejusmodi mixtam licet animadvertere. Sit enim servus aliquis, cui merces à domino commissæ; is verò tempestate obortâ nolit eas projicere, metuens pœnam, si dominus in illam projectionem forte non sit consensurus; ille eo ipso ostendit, si projiciat, liberam & spontaneam actionem à domino judicatum iri, cum ob invitam plecti non possit. Si verò raptetur ad hoc à navigationis socijs, & vi manus ejus ad bona ista applicentur, atque ita illa projiciantur, paratam habet excusationem, veniamque à domino, nisi is etiam insaniat, sine ulla compellentis periculi quæstione consequ-

quetur. Ratio autem est, quod hoc posterius prorsus fuerit invitum & violentum: prius autem illud in ejus manu positum, adeoq; periculi magnitudo illi prius expendenda, quam fortè non satis gravi urgente necessitate bona projicienda. Et hoc primum fuit argumentum.

XXXIII. Præterea vero & *secundo* ejusmodi actiones magis esse spontaneas quàm invitas, ostenditur, quod principium movendi membra, quibus tanquam instrumentis illas exercemus, adeoque principalis causa illarum in nobis, ac proinde in nostra potestate sit positum agere vel non agere. Est autem illud principium seu causa principalis illis instrumentis utens, voluntas, cujus jussui omnia membra ad motum data sunt subiecta, & sine ejus imperio actionem nullam exercere possunt. Quæ ergo actiones à nostra voluntate dependent, adeoq; etiam in nostro arbitrio & potestate sunt positæ, ut agantur vel non agantur, illas sponte magis quam invite fieri non est dubium. Quod vero illæ, quæ ob metum mali aut spem boni cujusdam suscipiuntur, tales sint & in nostra potestate eas exercere sit positum, ut experientia manifestum, probatione minime indiget. Neque enim ita projiciunt merces, ut non possint ab illa projectione bonorum abstinere, siquidem malint perire, quam illis esse superstites. Quare etiam spontaneis eas magis esse affines, non minus est perspicuum; etsi, ut jam dictum, simpliciter seu extra illud tempus ac reliquas circumstantias invitæ prorsus sint, nemine unquam extra necessitatis illum articulum constituto eas eligente aut expetente.

XXXIV. Neque minus *tertio* & illa ratio adhuc est observanda, quod supra jam dictum est, ejusmodi actiones, quarum causa laudari vel reprehendi solemus,

C 2

spont-

spontaneas & in nostra potestate esse: Quod enim invitus quis aut necessitate quadam naturali, aut alias inevitabili fecit, ut si naturæ necessitate moriatur, propter id neque laude eum affici neque reprehensionem incurrere manifestum est. Jam vero ejusmodi actiones, quibus quis pro obtinendo magno aliquo bono aut evitando malo vel inhonesto, gravissima quæque & maximè turpia seu probrosa, vel acerba etiam supplicia perfert, laudibus in cœlum evehi, & contra, si quis delicatior aut mollior talia pro istis sustinere refugiat, maxime vituperari, nemo nescit. Quis enim non maxima reprehensione vel etiam poena dignum judicaret, qui tempestate obortâ, & suam & aliorum perdere salutem, quam bonorum istorum jacturam facere mallet? Quis contra non quavis laude dignos ducit (ut M. Attilij Reguli exemplum omnibus scriptoribus celebratissimum nunc omittamus) Sanctos Christi Martyres, qui non atrociam modo supplicia, sed & turpissima atque ignominiosissima quæque pro pietate ac Christiani nominis professione pertulerunt? Neque viros tantum ea res illustres fecit, sed &, quod aliàs maxime turpe & probrosum, virgines & matronæ, stupra & infandas execrandorum nebulonum libidines sunt perpessæ, potius, quàm à Servatoris sui confessione vel latum unguem discederent. Ob hoc, inquam, & ipsæ laude dignissimæ merito judicantur, quæ si ob nihil honestum, vel exiguum quiddam, e. g. ne pectus forte denudarent, aut in foro saltarent, talia probra perpessæ essent, fortassis etiam reprehenderentur. Quæ omnia evincunt ejusmodi actiones in nostra esse potestate, adeoq; sponte ac voluntario à nobis exerceri.

XXXV. Fateri tamen oportet, esse aliqua hujus  
gene-

generis, quæ si ob ipsa à recti tramite quis deflectat, veniam facto concilient, adeoque tunc invitis debere accenseri, puta si quis in extrema necessitate earum rerum, quæ naturam ipsam superant, & nemo facile hominum sustineat, constitutus in aliquam honestatis partem impingat. Talia forte sunt illa, quæ præterquam quod atrocissima sint, ex improvise orta animum ita percellunt, ut sui compos non existat. Cum enim tunc voluntas gravissimis affectuum motibus pene obruatur, ijsq; constricta teneatur, non ita sui est juris, ut ijs tam celeriter se expedire, libereque prorsus, quod velit, eligere possit. Quare facile contingit, ut quis ita affectus & metu aut terrore adactus aliquid agat, quod minus deceat, atque in tali casu veniam ipsi tribuere communis fragilitatis consideratio jubet. Quod tamen non eò est extendendum, ut etiam graviora delicta, quæ unusquisque statim novit esse illicita, in ejusmodi casu scienti committere alicui permittatur. Etenim nulla prorsus vis, nullus dolor, nulla suppliciorum atrocitas tantum valere debet, quin honestas & pietas omni illorum pondere sit adhuc gravior habenda.

XXXVI. Nonnunquam vero in ejusmodi casibus, cum multæ sint rerum singularium, in quibus actio versatur, differentiæ, contingit, ut duobus propositis malis jure ambigere liceat, utrum eorum sit præ altero eligendum, animique ita deliberantium ancipiti cura in contrarias sæpe partes distrahantur. Quod si tunc non id, quod debebat, eligatur, non ob hanc quidem causam, quasi violenta sit actio, invita censeri debet, sed potius, quod propter ignorantiam & judicij imbecillitatem; quod nempe intellectus illa non satis inter se conferre, melioraque ex ijs eligenda voluntati proponere potuerit, ita sit gesta.

Neque tamen minus, præsertim non ita fortibus, & vel ob ætatem vel sexum imbecillioribus, difficile est, ijs etiam, quæ elegerunt, constanter insistere atque inhærere, quod plerumque ea, quæ cogunt, & quæ evitare velimus, turpia quidem sint, ea vero ad quæ cogunt, seu quæ eligenda videntur potius, molesta & cum gravibus doloribus conjuncta, quibus imperfectiores admodum affici atque percelli, rerum humanarum æquo æstimatori ignotum haud est. Quid ergo de his sit statuendum, & quantum veniæ vel etiam pœnæ illis debeat tribui, id omne ex diversis hominum conditionibus, & ex eo, quod voluntas in his & alio tempore magis, in alijs & alio tempore minus sit libera, adeoque actio magis minusve vel spontanea vel invita, æstimari discernique debet.

XXXVII. Cæterum quæ de mixtis ejusmodi actionibus hætenus sunt disputata, novæ jam quæstioni occasionem præbent, quo sc. illæ actiones, quæ non metu, sed cupiditate impellente perpetrantur, pertineant, & an illæ forte invitæ, aut saltem eadem ratione mixtæ dici queant? Absurdi autem sunt & oppido falluntur, qui credunt, vel asserere audent, illud tantum hominem per se & sua sponte facere, quod est secundum rectam rationem: Quod vero cupiditatibus abreptus quis agit, & contra rectam rationem est, esse violentum. Stulte sane existimant, esse quædam extrinseca, quæ hominem cogant ad ea agenda, quæ rectæ rationi è diametro adveria sunt. Vt si adulter dicat, principium facinoris hujus esse in formoso scorto, & se coactum hujus formæ pulcritudine tale quid committere, neque cupiditatibus eâ commotis potuisse refragari.

XXXIIX. Primo enim non sufficit ad hoc, ut invitæ sint

tae sint actiones nostrae, principia illarum esse extrinseca hoc modo, ut ob bonum, quod in objecto perspicitur, & propter jucunditatem ac delectationem ex illo percipiendam, suscipiantur. Alias enim omnes nostrae actiones, & ipsius quoque virtutis, quas tamen illi lubentes sibi adscribunt, inviti speciem haberent, quippe omnes eas ob voluptatem quandam & delectationem ex ipsis percipiendam, aut molestiam saltem earum beneficio pellendam expetimus. Et ea quidem voluptas aut doloris sedatio in ipsa objecti bonitate consistit; siquidem omnia, quaecunque agimus, ob bonum aliquod, five illud revera tale sit, five apparens, five etiam minus tantum malum, suscipimus. De virtutis vero actionibus quod dixi, id facile concesserit, qui summum in illis civile bonum & ultimum hominis finem collocatum esse, & cum ex perfecto habitu proficiantur, cum summa animi voluptate exerceri, cogitaverit. Hac enim quin maxime boni viri capiantur, ad ipsasque exercendas magis magisque accendantur, dubium prorsus est nullum. Cum ergo absurdum sit ipsius virtutis actiones & alias omnes boni cujusdam gratia a nobis susceptas, ob id esse violentas aut invitas, ob quod maxime sunt spontaneae: non minor erit absurditas statuenda, si quis actiones cupiditate boni alicujus seu jucundi propositi perpetratas, e spontanearum censu eximendas atque in violentis scribendas arbitretur.

XXXIX. Praeterea cum omne violentum voluntati seu appetitui contrarietur, ut supra dictum, ac propterea non possit non molestiam doloremque animo afferre, illorum autem actio, qui cupiditatibus abducti propter delectabile quiddam adipiscendum agunt, cum voluptate sit conjuncta, nemo eos vi compulsos aut nolentes seu

tes seu contra appetitum suum agere dixerit id, quod maximo animi prolubio cupiunt. Et profecto, quod jam porro notandum, non tam multa refutatione quam risu est dignum, quod cum tam turpium quam honestarum actionum æque in ipsis sint principia, æque propterea æquè spontaneæ, & omnes non minus ob aliquod externum, puta bonum seu delectabile expetantur; illi ita nunc principia, nunc actiones divellant, & quasi pro lubitu disponant, ut honestas quidem sibi & interno principio, nempe voluntati aut electioni suæ tribuant, præterito illo extrinseco seu delectatione, quæ ad eligendum bonos solet movere: ad turpes vero præterito vicissim interno principio & seipsis, externum tantum allegent, idq; acculent; honestorumque adeo semetipfos quidem, turpium vero jucundum seu delectationem causam constituentes, quasi vero non vel ideò, quod ita facile contra rationis præscriptum capi se finant, maxime culpandi forent.

XL. Verum enimvero si boni illi viri definitionem violenti supra traditam, ejusque verum sensum diligentius expenderent, in stultum ejusmodi errorem non inciderent. Cum enim violentum sit, cujus principium seu primarium movens vel causa principalis sit extra nos, adeò ut is, qui per vim agit, vel potius vim patitur, nihil omninò conferat ad actionem: qui voluptates sectatur, aut qui ob bonum aliquod externum agit, ille sane aliquid confert ad actionem, imò totius actionis principium primarium in ipso est: ipse enim tanquam causa principalis nemine trahente aut gubernante, membra sua movet, & in ejus potestate etiam erat agere vel non agere. Quare quamvis movens & inclinans voluntatem sit externum, nihilo tamen minus, cum voluntas ipsa id velit, quæ  
etiam



etiam non necessario sed liberè illud amplectitur, hujus-  
modi actio tota est spontanea, neque ullo modo violenti  
nomine venit. Et hæc de Invito per vim, iisque, quæ cum  
eo aliquam similitudinem habere videntur, pro ratione  
instituti nostri dicta sint.

XL I. Ostendimus autem supra, Invitum duplex  
esse, alterum per vim, per ignorantiam alterum. Explicato  
igitur eo, quod est per vim, jam pro virili illud explicabi-  
mus, quod ab impedita parte cognoscente oritur, estque  
per ignorantiam tale. Hujus enim consideratio non mi-  
nus necessaria est, atque illa Violenti.

XLII. Ejus autem natura ut recte cognoscatur, an-  
tequam definitionem ejus tradamus, notandum est, du-  
plici ratione ignorantem aliquid facere posse: Vel ut si-  
mul contra voluntatem, quamvis, ut supra exposuimus,  
non actu sed tantum habitu, ut ita loquar, vel proposito  
repugnantem agat, & ob id, si postea comperit, dolore &  
poenitentia facti ducitur, ut si quis ignorans hominem  
hunc esse, lupum putet ac globo trajiciat; quod prorsus,  
si scivisset, non facturum erat, proptereaque re cognita do-  
let: Vel, ut voluntas à facto quidem ipso non abhorreat,  
interim cum intellectus id non cognoverit, ipsa tum etiam  
actu velle non potuerit, cum ignoti nulla sit cupido: Ta-  
lis autem agens re postea cognita poenitentia nulla per se  
scu propter ipsum factum afficitur, quin forte etiam eo  
lætatur, ut si quis lupum existimans, hostem cui diu insi-  
dias struxerat, inscius interficiat: Illius enim rei postea  
cognitæ ferè ipsum non poenitet, imò gaudium etiam  
ex ea capit. Quare invitum talis non egit, quamvis æque  
ac priorem illum, non sponte egisse ipsum pateat. Ut au-  
tem invita propter ignorantiam dicatur actio, priori tan-  
tum

tum modo contingit, si nempe voluntas à facto ipso discrepet, eoque postea, ut se reapse habet, cognito indolescat.

XLIII. Singula hæc ita se habere, ut rationibus quibusdam ostendatur, *primo* quidem utrovis dictorum modorum commissam actionem non sponte fieri ex eo patet, quod ut supra diximus, ad actionem spontaneam tum intellectus tum voluntas seu appetitus hominis per actus suos proprios concurrere debeat, quod hic non fieri ex dictis planum est. Neque enim intellectus rem, aut ejus circumstantiam, quæ erat, apprehendit, sed aliam, quæ non erat, loco illius censuit. Vbi autem, ut dictum, intellectus eam voluntati monstrare non potuit, ibi nec voluntas in eam actu potuit ferri, adeoque neque sponte aut interno impulsu actionem circa illam suscipere. Neque tamen *secundo* posterioris modi actionem invitam dici posse, ex eo patet, quod invitum sit, quod est contra voluntatem, omne autem quod est contra voluntatem seu appetitum, illi sit molestum, & cum tristitia ac poenitentia serâ conjunctum. Illum verò, qui isto modo agit, neque prorsus contra voluntatem suam agere, neque postea serîò dolere, æque ac prius illud est manifestum. Cum autem *tertio* is quidem, qui contra voluntatem egit, & mox re cognita poenitentia afficitur, invitus fecisse meritò dicatur, ille vero qui nullum corde dolorem serîò persentiscit, adeoque nec contra voluntatem aliquid commisit, neque invitus id verè fecerit, neque etiam prorsus sponte, à voluntate scilicet ad id non impulsus; mediæ cujusdam hic & de utroque participantis naturæ sit necesse est, & ob hoc discriminis causa à Philosopho non sponte, seu ut Græcè melius sonat, ἔχ' ἐκὼν egisse dicitur, alter ille vero invitus seu ἀκὼν.

XLIV.

XLIV. Quod vero de pœnitentia atque animi dolore subsequente, ex quo ab invito commissam actionem fuisse, colligere liceat, diximus, id de ipsius animi proprio atque interno motu, quod scilicet ipse ab actione ita abhorreat, ut si eam prout est, prius habuisset cognitam, ad agenda eam nullo modo impelli potuisset, intelligendum est. Tali enim cum per se factum adverteretur, nullo modo vel ipsum, vel causam ejus, ut iram aut ebrietatem seu simile, ex quo illud proventurum existimare poterat, admittere propositum ipsi fuerat. Atque hæc demum causa talem efficit animi dolorem, talemque pœnitentiam, ex qua ab invito factam fuisse commissum, colligere liceat. Alioqui non est ignotum, etiam petulantissimos nebulones, & qui maximè scientes volentes aliquod flagitium perpetrarunt, eo palam facto vel ob pudorem & metum ignominia, vel etiam pœnæ gravioris formidinem, pœnitentiâ duci, & sero sapere edoctos animum sæpe mœrore excruciare. Quin qui neminem sæpe hominum verentur, neque etiam ipsum Deum metuunt, quàm illi internis tandem animi sibi male conscij & inquietis cogitationibus divexantur? quas, ut de Cæsare Tullius loquitur, conscientia illi labe in animo habent, quæ vulnera? Jam qui ex incontinentia vel nimio affectu aut ebrietate ignorans etiam peccat, semper fere post factum dolet, nec tamen ob id invita ejus actio censetur, ut hoc paulo post ostendemus. Sane plerumque malas & illicitas voluptates, utut lubentissimo quis ijs animo indulgeat, dolor tandem comes sequitur, stultæque lætitiæ graves luunt pœnas. Atque hinc fortè fabulæ illius occasio, quam de Voluptate & Dolore narrat Drexelius. *Vterq; ait, Nicet. l. 1. litigarunt aliquando Jove Judice de prioritate, neq; voluptas c. 10. dolori, neq; hic illi ullo modo cessurus erat. Respondet Jupiter:*  
D 2
bene

*bene est, vos ita componam, ut dirimi nunquam possitis. Atque ita inenodabili vinculo utrumq; colligavit, velut fugitivos servos, ut neuter neutrum affectum effugere possit, unde nunquam non sunt simul.*

XLV. Non omnem itaque animi dolorem atque poenitentiam, quæ factum aliquod sequitur, invitum illud reddere facile patet. Sed ut ad distinctionem supra traditam redeamus, quemadmodum is, qui per ignorantiam aliquid commisit, à quo tamen voluntas ejus non abhorret, nec ejus causa dolore postea afficitur, non sponte, alter verò, cujus præterquam quod per ignorantiam egit, voluntas etiam ita à facto abhorret, ut si illud, prout vera est, scivisset, facturum nunquam fuisset, invitum egisse dicitur: Ita ipsæ etiam actiones à talibus commissæ distinguuntur, ut prioris quidem generis dicantur non voluntariæ, posterioris involuntariæ seu invitæ.

XLVI. Jam porro & hoc discrimen ejus, quod cum actione aliqua ignorantia illius quod agitur, sit conjuncta attendi debet, quod aliud sit ignorantem aliquid agere, aliud per seu propter ignorantiam. Neque enim omnis, qui rem ignorat, statim per ignorantiam id facit, ita ut ignorantia potius, quam ipsius voluntas causa ejus sit statuenda. Exemplo sint homines ebrij vel ira ita perciti, ac quasi furentes, ut nesciant quid agant. Nam & ipsi ignorantes aliquid mali perpetrant, neque tamen propter ignorantiam, ut illi tanquam causæ primariæ imputari debeat, sed propter ipsam ebrietatem vel iram, quibus quicquid ipsis adest ignorationis, sibi volentes vel sponte sua attraxerunt. Ita qui ebrius alterum vulnerat, quamvis tunc forte ignorat, ebrietas tamen illum atque ira, quas & ipsas cavere & potuit & debuit, tum ignorare  
fccc-

fecerunt, quæ optime norat vel nosse poterat, tum ad factum quoque ipsum impulerunt.

XLVII. Vt autem hoc clarius explicetur, notandum est, omnibus hominibus à natura datam esse rationem ideò, ut in vita & actionibus suis illam tanquam ducem sequantur, nihilque nisi ea approbante suscipiant. Quod si nondum illa de actione vel re iudicium tulit aut ferre potuit, ne aliquid contra illam admittatur, suspendi vel omitti debet actio, & res pro virili accuratius explorari. Quod si ergo fiat, ut adhibita cura atque diligentia debita non aliter intellectus rem cognoscere valuerit, & jam satis se scire putet, quod tamen revera ignorat, si tum voluntas illud iudicium sequatur & peccet, dicitur agere ex ignorantia, & actio invita censetur propter ignorantiam: quia si intellectus rem aliter & ut revera erat, cognovisset, id non egisset. Quare etiam veniam illius rei homo consequitur, quod argumento est, invitam illam actionem iudicari. Si vero debitam quis ad rem cognoscendam adhibere diligentiam neglexerit, vel alias quidem rem non ignorat, tunc vero ignorantiam ipse sciens sibi produxit, ejusque ita est causa, ignorans tantum ille dicitur agere, nec vero ex ignorantia, seu propter ignorantiam, cum locutio ista causam aliquam importet. Vt enim id non fecisset, si recte omnia scivisset aut considerasset, cum tamen causam illius ignorantiae, atque adeo ipsam ignorantiam ipse voluerit, aut certe non noluerit, etiam id, quod ejus occasione ortum fuit, ipsi tanquam causae primariae imputatur, suffragante etiam illo vulgari, qui vult causam, vult etiam id, quod ex ea novit oriturum. Et ob ipsam hanc causam neque invitus etiam talis egisse aut venia dignus iudicatur.

XLIIIX. Ex ignorantia itaque agere seu propter ignorantiam, & ignorantem, non esse eadem, ex his satis patet. Nempe vel non est causa is, qui ignorans agit, suæ ignorantia, cum rem, circa quam agit, scire vel cognoscere in ejus non fuerit potestate positum. Quare cum ipsi ignorantia non possit imputari, id etiam, quod ex ea oritur, ei adscribi non potest, sed soli ignorantia, & ob id, propter ignorantiam invita actio dicitur. Vel causa est aliquis suæ ignorantia, quando aut ebrietate, aut ira, aut nimia cupiditate, aut vitio, aut nimia etiam atque supina negligentia effecit, ut rem, quam scire & poterat & debebat, vel ignoret, vel talem tunc non existimet. A quibus enim ut abstinemus, in nostra potestate unicè est positum, illa si fiant, nobis solis aut imprimis certe sunt tribuenda, nosque adeò causa illorum jure perhibemur. Pertinent huc verba Philosophi *libr. 3. Eth. c. 5.* ubi: *Etenim castigant, inquit (loquitur autem de singulis hominibus, & præcipue de Legumlatoribus) ignorantem, si ipse esse causa ignorantis videatur. Quemadmodum ebriis duplices pœna constituta sunt. In ipso enim, qui ebrius fit, principium est, cum dominus sit, ut ebrius non fiat, quæ est causa ignorantis. Et ignorantes aliquid eorum, quæ in legibus sunt, quæ oportet scire, & non sunt difficilia, castigant. Similiter vero etiam in aliis quæcung; per negligentiam videntur ignorare, quod in ipsis est ipsum non ignorare: domini enim sunt, (i. e. in eorum potestate est positum) ut diligentes sint. Cæterum vulgari distinctione hæc posterior ignorantia Vincibilis dicitur, quippe quam quis, si recte se gerere voluisset, facile superare & expellere aut cavere potuisset: Item voluntatem consequens, quia ista ex quibus ea est orta, & ex quibus orituram scivit, vel voluit, vel certe non noluit: Prior vero illa In-*

vincibi-

vincibilis, itemque voluntatem antecedens indigitatur, quia sine omni voluntatis inclinatione aut consensu eamque quasi perveniens animum occupavit.

XLIX. Sed & hac ratione distinctio illa th. XLVI. & proxima XLIX. proposita, fiet magis perspicua, si intueamur homines, qui ob vitiorum, quem contraxere, habitum, iudicium honesti omne amiserunt, neque sciunt aut credunt amplius, facinora quibus dediti sunt, esse per se illicita aut mala. Ita ebriosi ebrietatem esse malam serio non credunt, neque latrones latrocinia, aut scortatores stupra. Et ita omnes pravi, quæ agunt, licita ac bona putant, injustaque adeo aut mala, & propterea ab ijs abstinendum esse ignorant. Sane non ea ratione hæc & reliquas honestatis regulas illi ignorare dicuntur, quod nunquam eas audiverint vel apprehenderint, aut etiam quod obliti plane fuerint, quippe sæpe alijs eas proponentes atque explicantes: tamen, quod practicum eorum iudicium, quod de rebus à se in vita eligendis agendisque ferunt, juxtaque id actiones ipsas instituunt, attinet, contrarium prorsus judicant, idque quod aliàs non admittendum acceperant, vel docuerant, jam ipsi expetendum censent. Vere itaque ignorantes agere, neque aliter præcepta illa virtutis proferre, existimari debent, quam histiones in comœdijs, quibus incontinentes etiam in hac parte assimilant Philosophus *l. 7. Eth. 3.*

L. Cum vero manifestum sit eos non obstante eo, quod hac ratione ignorantes agant, imo ob ipsam illam ignorantiam erroremque tam crassum malos atque improbos censerent, neque ullo modo veniam mereri aut consequi, luce clarius patet, diversum quiddam esse ignorantem agere, ab eo, quando quis per ignorantiam invitus agit, veniamque ob id consequitur. Neque enim invitum potest

potest dici, si quis ignoret id, quod vitæ ipsi humanæ est utile, & vere bonum in rebus, quodque præterea omnes tenentur & facillime etiam possunt scire, quale est, abstinendum esse à vitijs, & operam dandam virtutibus, justitiæ, temperantiæ & similibus. Talium quippe ignoratio, cum ipsum propositum honesti atque virtutis tollat, & cum manifesto improbitatis atque malitiæ proposito sit conjuncta, non invitas actiones vitiosas efficit, sed & illas malas & ipsum hominem improbum atque pravum.

LI. Neque refert, quod talis jam non amplius possit intelligere id, quod verè in vita prodest, quodque agendum, neque illud judicio adeò depravato & obstantibus tot cupiditatibus eligere aut sibi proponere: Cum omnia ista initio fuerint in ejus potestate, & ipsi ita placuerit se gerere, unde talis postea existeret. Adscribemus hic iterum verba Philosophi, quamvis pluscula, quæ supra th. XLIX. allegatis immediate subnectit. *Sed fortasse (ita sibi objicit) ejusmodi est aliquis, ut diligentia non utatur, (puta, quod ita corrupto ac depravato sit animo, ut nesciat amplius, quid sit honestum seu agendum, ac propterea diligentiam in explorandis rebus adhibere nolit aut non possit.) Verum, cur tales fiant, ipsi causa sunt, viventes dissolutè, & cur sint injusti, vel intemperantes, illi quidem maleficia perpetrantes, hi vero in comperationibus & ejusmodi rebus vitam degentes. Actus enim circa singula tales efficiunt. Hoc autem manifestum est ex iis, qui se exercent ad quodlibet certamen, vel actionem. Perseverant enim tales, talia agentes. Ac ignorare quidem hoc, quod ex actibus circa singula habitus fiant, valde insulsi est. Præterea vero absurdum est, injuste agentem nolle injustum esse, & intemperanter agentem intemperantem. Quod si quis non ignorans agit ea, ex quibus erit injustus, sponte injustus erit. Non tamen si velit, injustus cum sit, desinet, & erit justus. Neq; enim*  
agro-



agrotans sanus efficitur, & si sic contigerit, sponte agrotat, in-  
temperanter vivens & non obtemperans medicis. Ac tunc qui-  
dem licebat ipsi non agrotare. Cum vero neglexerit, non am-  
plius. Quemadmodum neq; aliquis, qui projecit lapidem, am-  
plius potest ipsum resumere, etiamsi in ipso sit emittere & proji-  
cere. Principium enim in ipso est. Eodem modo etiam injusto &  
intemperanti à principio licebat ejusmodi non esse. Quapropter  
sponte sunt. Cum vero facti sint ejusmodi, non amplius licet non  
esse ejusmodi.

LII. Ex his itaque patet, neque talem ignorantiam  
honesti, veræque utilitatis in vita, quam malis actionibus  
sibi ipse aliquis attraxit, causam esse, ut dicatur agere in-  
vitus, vel excusationem ullam mereri, neque idem esse,  
ignorantem aliquid hoc modo facere, & per ignorantiam.  
Solet autem porrò Ignorantia varijs alijs modis ab auto-  
ribus & interpp. Aristotelis distingui, quos omnes expli-  
care nobis, qui Philosophi potissimum vestigia sequi no-  
bis proposuimus, non licet. Plerasque tamen illas distin-  
ctiones intelligere poterimus ex ea, quam Philosophus  
habet, ignorantiae divisione in universalem seu qua igno-  
ratur universale, & eam, quæ est singularium, sive ut nos  
loquimur, circumstantiarum. Est autem universale secun-  
dum quosdam actio aliqua bonitatem vel malitiam in se  
continens, simpliciter & in se spectata, non prout in exer-  
cizio ad has vel illas circumstantiarum differentias est con-  
tracta: Secundum alios vero propositio practica, genera-  
le aliquod vitæ seu morum præceptum, aut quid in vita  
communi soleat fieri, enuncians, ut adulterium esse vi-  
tandum, justitiam & fidem esse conservandam in contra-  
ctibus &c. Quæ quidem omnes sanæ mentis scire & pos-  
sunt, & nisi improbi velint haberi, tenentur. Pertinet et-  
iam huc legum seu statutorum in aliqua civitate vel ditio-  
ne, tum

ne, tum civilium, tum Ecclesiasticorum cognitio, quan-  
tum quidem eorum etiam quilibet idiota debet scire, ut a-  
pud nos, fures capitis poena affici, non licere die Domi-  
nico inter sacra publica potare, &c. Nec minus etiam in  
singulis vitæ partibus, studiis, collegijs seu societatibus  
sunt aliqua universalia, quæ ij, qui illa profitentur, vel  
horum sunt membra, nosse debent, quemadmodum Me-  
dicus scire debet universalia suæ artis, qui huic vel illi  
collegio interest, illius leges vel statuta. Cæterum primi  
illius generis universalium, quid nempe in vita commu-  
ni debeat vel soleat fieri, ignorantiam habere dicitur, non  
tantum qui prorsus ea nescit, quod quidem vix potest fieri,  
sed etiam, qui ob corruptum ac depravatum iudicium ea  
non credit, aut observatu cuivis atque adeo sibi etiam ne-  
cessaria existimat, ob quam etiam si delinquat, non invita  
illa actio censetur, ac propterea neque ipse excusatur, sed  
potius vituperatur, & poenam incurrit, ut supra hæc plu-  
ribus exposuimus. Posteriorum vero generum ignorantia  
itidem nulla esse potest, nisi ob supinam negligentiam, ob  
quam noluit quis vel tantillum laboris ijs cognoscendis  
insumere, ad quod tamen quilibet talium ipso jure tene-  
tur. Quare & ista actionem invitam reddere, adeoque  
etiam excusare nequit, ut supra etiam Philosophi verbis  
Th. XLVIII. adductis planum fecimus.

LIII. Ea vero, quæ singularium est ignorantia, cum &  
veniam mereatur, & quandoq; etiam misericordiam, ac  
proinde actionem verè invitam efficiat, quænam sit, consi-  
derandum nobis erit. Facile autem hoc intelligetur, si quæ  
ipsa singularia sint à Philosopho ita dicta, attendamus. Ap-  
pellat autem ipse τὰ κατ' ἑκάστη ἐν οἷς καὶ περὶ αὐτῶν πράξις, *sin-*  
*gularia, in quibus & circa quæ actio versatur.* Ab interpretibus  
communiter *Circumstantiæ* dicuntur, quod actionem quasi  
circum-

circumstent & ambiant, tanquam accidentia, cum tamen ut paullo post dicemus, ad ipsam ejus essentiam pertineant. Cæterum numerus earum ab aliis alio modo demonstrari solet, nos istarum enumeratione contenti hâc vice erimus, prout eæ vulgari hoc versiculo comprehenduntur:

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

LIX. Ex his, ut paucis vocabula ista explicemus, *Quis* notat personam agentem, seu qualitatem & conditionem ejus ut sexum, ætatem, vitæ genus, officium quo fungitur, & similia, quæ cuncta non parum ad ipsius actionis naturam faciunt. Duo enim, (ut vetus habet dictum) cum faciunt idem, sæpe non est idem. Voce *Quid* communiter quidem objectum seu circa quod actio versatur, significari solet: Philosophus autem distinctis vocibus  $\tau\acute{\iota}$  &  $\tau\acute{\iota}$  utitur, & per  $\tau\acute{\iota}$  seu quid videtur intelligere genus ipsum hujus actionis, seu ut sciat vel ignoret quis, quid agat, seu se hoc vel illud agere, quemadmodum ebrij, quid agant, nesciunt. Neq; objiciat aliquis, hanc non esse circumstantiam actionis, aut ut Philosophus loquitur, ex eorum numero, in quibus & circa quæ est actio, cum sit ipsa actio, aut quid ea sit. Sufficit enim si dicamus, Philosophum majoris partis intuitu ita illa singularia appellasse aut descripsisse. Sed de his forte non est operæ pretium cum alijs contendere. *Vbi* qua locus indicatur, & ultima *Quando*, tempus significans, à Philosopho una voce  $\acute{\epsilon}\nu$   $\tau\acute{\iota}\nu\iota$  comprehendi communiter fere censent. *Quibus auxiliis* instrumenta denotat, quibus plerumque in efficienda aliquâ re utimur. *Cur* autem finem, ob quem actio solet omnis suscipi, & *Quomodo*, modum & varias actionis conditiones, item omnia, quæ præter dicta actionem vel præcedere vel comitari solent, complectitur.

LV. Ut autem ad propositum revertamur, & de ignorantia harum circumstantiarum, & quomodo actionem in-

invitam ea possit efficere, dicamus, ad posterius horum  
intelligendum observari debet, illas, quamvis ab actione  
ipsa hominis, prout in Physicis seu secundum esse naturale  
illa spectari possit, sint distinctæ, & pleræq; tantum ejus ac-  
cidentia: prout tamen in morali disciplina ea consideratur,  
& bonitatem aut malitiam moralem habet conjunctam, ad  
ipsam essentiam ejus pertinere & essentielles illius differen-  
tias constituere. Ita, ut exemplo hoc illustremus, quando  
aliquis pecuniam aufert & secum domum portat; tunc ac-  
tioni illi secundum esse naturale spectatæ, extrinsecum &  
prorsus accidentarium est, quod pecunia sit alterius, quod  
illo invito auferatur, quod contra jus, quod clam vel vi,  
quod fraude, quod ex loco sacro: adeoque illa ablatio pec-  
uniæ secundum speciem & essentiam est eadem cum illa,  
qua quis suam pecuniam aut sibi debitam legitimoq; modo  
aufert: secundum esse morale verò, seu ut in morali doctri-  
na illa actio consideratur, non accidentalia sed essentialia  
ista omnia ei sunt, atq; hæc quidem eam essentialiter bonã,  
ista vero omnia essentialiter malam, ac singula ferè pecu-  
liarem ejus speciem constituunt. Cum ergo ea sit vis illarũ  
circumstantiarum in actione morali constituenda vel de-  
terminanda, facile patet, earum ignorationem actionem  
talem invitam posse facere, quippe quæ alia prorsus secun-  
dum essentiam ac sæpe contraria illi, quam agens sibi pro-  
posuerat, siquidem aliquid, quod ad illius essentiam per-  
tinet, & à quo ipsa secundum essentiam dependet, ab hac  
quam agit, abest, imò interdum contrarium illius adest, ob  
quod actio etiam ipsa ab ea quam sibi proposuerat, vel es-  
sentialiter est diversa, vel etiã insuper prorsus illi contraria.

LVI. Quod verò harũ circumstantiarũ seu singulariũ, in  
quibus actio versatur, ignoratio actionẽ invitã possit facere,  
atq; adeo etiã excusare, universaliũ vero & eorũ quæ invita  
ipsa humana sũt utilia, ignoratio id nequeat, causa est, quod

ad ista, cum sint pauca & homini penè à ratione indita vel certè præscripta, eodemq; se modo vel semper vel plerumq; habeant, scienda quilibet teneatur, & si ignoret, voluntate sua negligentiam istam vel imperante vel permittente, ignoret. Illa vero, utpote singularia, infinita ferè sunt, & infinitis modis variant, atque ita facile etiam cuiusvis prudentis circumspectam diligentiam possunt effugere, interdum vero etiam ita se habent, ut omni adhibita cura atque diligentia cognosci prorsus nequeant.

LVII. Ipsam autem singularum harum circumstantiarum ignorantiam quod attinet, quomodo scil. aut quæ earum ignorari citra negligentia vel sponte attractæ ignorantia culpam possint, manifestum id quidem est, eas quoq; omnes simul neminem, nisi forte plane insaniat, nullumq; rationis usum habeat, posse latere, ita ut non aliquas saltem sciat vel intelligat. Neque etiam prima seu *quis aut qualis sit agens*, ita est comparata, ut possit mentis certe compotem fugere. Quis enim se ipsum ignorare aliquis possit? Reliquarum verò omnium, ut exemplis patet, ignorantia aliqua esse potest. v. g. ignoramus interdum *quid agamus*, quâ excusatione uti possunt oratores, qui metu aut perturbatione seu consternatione aliqua animi à proposito, seu ijs, quæ meditati erant, non minus atque ij, qui ad supplicium ducuntur, abrepti, quid agant aut loquantur, sæpe nesciunt. Aut *objectum* vel aliqua illius conditio nobis non innotuit, quo se defendit Aeschylus, cum in suis poematibus Cereris arcana, nulla re magis, quam silentio veneranda inscius enarrasset. Aut *instrumentum* vel ejus qualitas nos latet, ut si gladio, quem præpilatum esse credebas, amicum interficias. Aut circa *finem* erramus, sive is, quem nobis per actionem, tanquam per medium, obtinendum proposuimus, per illam non obtingit, sed vel sine ea, ut si statim post

mercium jacturam mare tranquillum foret, adeoq; illâ non  
fuiſſet opus: vel forte etiam ejus contrarium eveniat, ut ſi  
immedicabile vulnus enſe recidat Medicus, eo fine, ne pars  
ſincera trahatur: poſtea contrarium ejus experiatur, adeo,  
ut gangranæ tabes totum corpus conſumat. Aut *ratio* ſeu  
*modus* aliter atque putamus, ſe habet, ut ſi quem leviter  
ſtringere vis, graviter vulneres. De *tempore & loco* nihil ad-  
dam, an ſcilicet dies feſtus ſit an non, locusne ſacer an pro-  
fanus, quorû & ſimilium igno ratio itidē eſt frequentiffima.

LII. Singularum itaque iſtarum circumſtantiarum  
ignoratio, excepta, quæ non ignorari forte à ſobrio & men-  
tis compote poteſt, primâ, & niſi quis etiam reliquarum  
ignorantiæ ſive ob ebrietatem, ſive nimiam iram, ſive ex-  
tremam negligentiam aut alio modo ſit cauſa, invitam red-  
dere actionem adeoque excuſare poteſt. Sunt enim ita compara-  
tæ, ut ſi quis hanc vel illam rectius habuiſſet cognitam, e. g. quod  
inſtrumentum attinet, illud eſſe acutum; aut locum vel tempus,  
ea eſſe ſacra, aut modum, non ita levem impulſum fore; tunc a-  
ctionem eo modo non ſuſcepiffet, aut factum proſus non perpe-  
traſſet. Quodcunque autem, ſi cognitum nobis fuiſſet, actionem  
impediviffet, vel ut eam per ſe nollemus, effeciſſet, id actionem  
reddit invitam.

LIX. Præ cæteris autem hoc faciunt eæ circumſtantiæ, vel  
ſingularia, quæ *υπερωτάτα* ſeu principatum obtinentia, i. e. cir-  
cumſtantias maxime principes appellat Philoſophus, & commu-  
ni ferè interpp. ſententia dicuntur eſſe *finis & obiectum*. Et ſanè hæ  
cum peculiari modo cauſæ ſint, à quibus actio aliqua Phyſicè ſeu  
ſecundum naturam conſiderata dependet, plurimum ipſæ actio-  
nem immutare adeoq; etiam invitam facere poterunt. Sic à fine,  
(niſi ipſa ſit finis) ita dependet actio, ut ipſa tanquam medium  
propter eum eligatur, ac niſi ille ſit, vel eadem obtineri non poſ-  
ſit, proſus non expetatur, quin ſi forte contrarium illius finis e-  
venturum ſit, omni modo rejicienda nobis cenſeatur. Quare ſi  
non ea ſit vis & utilitas actionis tanquam medij ad aliquem fi-  
nem nobis proſiſitum, quam ipſi putamus, & hinc vel ad illam  
finis non ſequatur, vel forte etiam ejus contrarium per ipſam eſ-

ficiatur, actio talis est invita propter ignorantiam finis, quem-  
admodum exemplis supra adductis hoc clarum fit. At Obiecto  
vero non minus actio, quæ circa illud versatur, tanquam & causa,  
etiam quoad naturale illius esse dependet, adeo ut diversitas ejus  
actionem diversam etiam secundum esse naturale ejus constituat.  
Quare etiam, si quis circa hoc putet se versari, cum versetur circa  
prorsus aliud, etiam actionem prorsus aliam, non autem illam,  
quam putat, aut quam sibi proposuerat, imò forte etiam, quam  
nullo modo admissurus erat, exercet, ut mirum non sit, actionem  
talem invitam præ cæteris esse posse, ut si quis, qui feram aut hostem  
occidere sibi proposuerat, patrem aut amicum interficiat, quæ  
actio est prorsus alia, quam ipse voluerat, & præterea talis, ut  
eam si sciret, omninò nollet.

LX. Hæ itaq; sunt circumstantiæ, quarum ignorantia, si &  
ipfius non finis causa, invita potest actio reddi. Non autem, ut  
hoc ex superioribus jam addamus, nuda illarum ignorantia id ef-  
ficat, sed quemadmodum indicatum est, cum aliud sit non spon-  
te agere, aliud invitum, & hoc tantum id sit, quod fit contra vo-  
luntatem; ita quis animo debet esse affectus, ut si scivisset hanc  
vel illam circumstantiam, ob cujus ignorantiam actio invita  
dicitur, illam non fuisset suscepturus, ac propterea rei veritate  
postea cognita, molestia afficiatur ac dolore, factiq; eum pœni-  
teat. Aliàs si etiam cognita illa nihilominus fuisset id acturus, i-  
gnoravit tamen, non volens quidem seu non sponte id fecisse  
perhibendus est, non autem nolens seu invitus.

LXI. His ita explicatis *quid sit Invitum per ignorantiam*, aut  
quæ sit ejus definitio, facile poterit intelligi. Est enim *talis actio,*  
*quæ fit ignorantia alicuius vel plurimum singularium in quibus versatur,*  
*seu circumstantiarum, cuius tamen ignorantia ipsi causa non sumus, &*  
*postquam cognovimus, facti nos pœnitet.* Atq; hæc etiam de Invito  
per ignorantiam sint dicta.

LXII. Restat autem jam, ut quid sit ipsum Spontaneum vi-  
deamus. Hujus natura eo paucioribus poterit declarari, quo plu-  
ra de utroq; Invito jam sunt explicata. Est igitur, definiente Phi-  
losopho, τὸ ἐκείστων, seu spontaneum, ἢ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδόντι τὰ  
καθ' ἑκάστα ἐν οἷς ἡ πράξις, *Cuius principium est in ipso (agente),*  
*sciente singula in quibus actio versatur.* Ex hac definitione colligimus,  
actionis spontaneæ rationem in duobus esse positam, tum ut agens

QX  
77  
786

interno impulsu appetitus seu voluntatis, & efficaci hujus ad agendum inclinatione agat, tum ut singulas circumstantias, i. e. res singulas, in quibus actio versatur, animo seu mente sua, satis habeat exploratas. Per prius horum distinguitur ab invito per vim, per posterius ab invito per ignorantiam.

LXIII. Ex hac vero Spontanei definitione jam etiam clarius id, quod supra de actionibus Mixtis fuit dictum, eas magis ad spontaneas quā invitas pertinere, quin pro eo tempore atq; sine, quo & ob quem aguntur, esse spontaneas, patere intelligiq; poterit. Si enim illa cum istis conferatur, non obscurū id erit amplius. Etenim, ut exemplo sæpius propositō, cui reliqua etiam sunt similia, inhæreamus, in actione illa navigantis, qua merces in mare projicit, principium projectionis illius est in ipso agente, qui à nemine coactus, ipse voluntate suā, manibus suis quasi imperat, easque ad projiciendas merces extendit, extensis illas apprehendit, atq; omni conatu ac sæpe magno labore, aliis navigavitionis socijs etiam in auxilium vocatis, projicit. Quare priorem quidem definitionis istius partē huic actioni competere dubium est nullū. Nec de posteriore difficultas esse potest, cum idem ille merces in mare projiciens cognita habeat singula in quibus actio versatur, imprimis vero, quid agat, quo etiam tempore & ob quem finē id faciat, animo suo intelligat, ac satis explorata habeat. Quare etiam Spontaneam hanc actionem, pro eo certē tempore, esse judicandam nemo non intelligit. Hæc autē sunt, quæ exercitij causa de Spontaneo atq; Invito hâc vice proponere visum fuit.

Δόξα τῷ Θεῷ.

**S** Ponte ingressus iter durum Virtutis, amice,  
Molle Voluptatis, cautius angve fugis.  
Differis hinc pulcre lingua, calamoq; notasti,  
Sponte quid, Invite quidq; Lycea vocent.  
Sic munus recte Studiosi iungis utrumq;  
Divinum & Sophies, & probitatis opus.  
Alcidis maeste esto animo, maeste esto Minerva  
Consilio, merces te copiosa manet.  
Namq; prius gemere aëriâ cessabit ab ulmo  
Turtur, & incipiet linguere mergus aquas,  
Quam male Virtuti se dulcis adorea prester,  
Quā male Pierides premia digna ferant.

(M. Christ. Frid. Simb.)

VD77



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

G. N. 352, 21.

X1860452



Συν Θεω.

DISPUTATIO MORALIS

DE

SPONTANEO  
ET INVITO,

Q V A M

D. O. M. A.

PRAESIDE

DN. CHRISTIANO EBERHART  
HISTOR. ET POES. PROFESSORE ORDIN.

Præceptore & Promotore suo atatem colendo

IN ILLUSTRIS IVLIA

*Publico eruditorum examini subiectis*

ANDREAS RUPERTI, EIM-  
BEŒCENSIS Aut. & Resp.

IN NOVO IVLEI AUDITORIO

Die Maji.



HELMESTADI

Typis HENNINGI MÜLLERI Acad. Typogr.

Anno MDCCCLVI.

9.14.